



# LODRONI LEONIS

VETVSTATIS, AC VIRTVTIS INCLYTÆ

MONIMENTA

Nuper à *BARTHOLOMÆO CORSETTO*

*Presbytero Benacensi,*

*Parochiali S. Petri Liani Praposto, ac Vicario Foraneo*

In lucem edita

Cum duplici Indice: Altero Auctorum, & Operum,  
ex quibus sunt collecta:

Altero verò rerum memorabilium.

Illustrissimo, & Reuerendis. D. D.

## CAROLO ANTONIO LVCCIAGO

I. V. D. Prothonot. Apostolico, Archidiacono Canonico  
Ecclesiæ Cathedralis Brixinæ, & in eodem  
Episcopatu Vicario Generali

DICATA.



BRIXIÆ, M. DCLXXXIII.

Apud Dominicum Grumum, Super. Permissu.

ro anno tertio, & quadragesimo, supra millesimum, & quingentesimum, & sequenti .*a.* Quo tempore Alamanorum Tribunus sub Marchione Vastij in Pedemontio contra Gallos adeò strenuè Carignanum Castrum defendit, vt nullas veri Ducis, ac strenui Militis partes omiserit .*b.*

1543.  
1544.  
Mambro.  
Rofeus P. 3.  
L. 5. & Marc.  
Guar. sub.  
cod. tempo.  
ibide. 1.

20 Numerantur etiam Comites Nicolaus, Eques Lodroni, & Castri Noui Dominus, ex Comite Paride, Equite, & in eodem Castello Domino in Valle Lagarina sub anno millesimo, & trigesimo quarto ad quingentesimum & Augustinus Lodroni, & Castellani in eadem Valle Dominus S. C. M. Tribunus, & Hispaniarum Regis familiaris, sub anno trigesimo nono ad millesimum, & quingentesimum, .*c.*, & plurimi alij, non solum in Tyroli, verum etiam in Hispaniarum Regnis, vbi nonnulli eorum Domicilium constituerant .*d.* de quibus, cum nobis nulla eorum gesta memoria digna innotescant, fandi locus non est, quare sermo noster erit.

1534

1539.  
Ex Pro-  
tocoll. præd.  
de Ortigell.  
d. Naxar.  
P. 3. cap. ult.  
in fine.

21 De Sebastiano Paride, Lodroni Comite, Arcis Sancti Ioannis Domino, & Equite Sancti Iacobi, ex Sigismundo primo nato, qui postquam de anno millesimo, & octogesimo ad quingentesimum, & alijs duobus insequentibus annis, vt patet ex litteris apud me proprio ipsius Comitis Chirographo Vlyssipone, & ex Spezza datis .*e.* in expeditione Regni Lusitaniæ, seu Portugaliæ, pro Hispaniarum Rege Catholico, strenui Ducis partes sustinuit post præclaras res gestas, post paratum sibi optimi Equitis nomen, t in dem Salodium, vbi ortum duxerat, & in cuius Oppidi Parochialiè sacris vndis susceptus fuerat, se recepit, & cum in dicto Municipio satis amplas Aedes, magnifica Viridaria, multaque alia stabilia bona possideret .*f.* aeris originarij maiorem anni partem salubri gaudens temperie, modò Lodronum, modò in Vallem Vestini se transferebat, in qua ab q; minimo illorum fidelissimorum subditorum incom-

1580

1582

Manuscr.  
litt.

ff Bon. Ion.  
Gratarol.  
L. 1.

modo,

modo, aliquando per totam Quadragesimam commoratus fuit, Concionatore etiam proprijs expensis, qui Populum prædicatione verbi Dei pasceret, ducto, præterquàmquòd multum etiam in subleuandis egestatibus Pauperum, præcipuè dictæ Vallis erogabat.

Etenim Vestina Vallis ad Septemtrionem supra Lacum Benacum (in quem è lateribus quatuor patet prospectus) intra fines ipsius Riperiæ posita, nam ab Oriente Tignalis, & Tremosini, ab Occidente Aani, à meridie Gargnani, & ab Aquilone Hidri Communia, & Benacensis Patriæ membra contermina habet, longitudine ultra sex miliaria, latitudine verò vix excedens Stadia duo, tota montibus vallatur, qui ad eius vtraque latera in tortuosam longitudinem protensi, in sublime arduo dorso surgunt. Ex Riuis tribus, e montium vertice per trinas descendentes Vallicullas, medio in Vallis centro conflatur Amnis, qui ipsam totam in sex Pagos diuisã interfecãs, extra illius terminos Tusculanus postea dicitur, eo quod apud dictum oppidum in Benacũ ipsum defluat. Toto hoc in Fluuio Piscium genus suaue, & delicatum expiscatur, quod Indigenæ Miniatas (ab innumeris quibus emicant aurei, & argentei coloris signis) appellant, quæ Piscium species nullibi extra Riperiæ Salodij fines inveniuntur. Ea aeris salubritate, & per amæno Cælo vitur, vt in ea, ultra mille, recenseantur capita, & immaturè admodum putentur eripi, si sexagenarij supremum diem cluserint. Cumque in planitie non expatietur, sed in colles assurgat, frumentum ibi haud colligitur, quod Incolas ad alendos sufficiat, nisi aliunde importetur. Pratis tamen, ad cuiuscunque Pecoris genus sustentandum sufficientibus, minime caret, vnde carne, & lacticijs satis abundat. Vino verò, & oleo, cæterisque alijs necessarijs omninò carens non paucis abundat Egenis, qui proprio labore victum querentes, maiorem anni partem in exteris Regionibus commorari conan-

Vallis Vestinae Descriptio.

conantur, obidque à Vestigalibus cuiuscunque generis immunes, vsque in præsentem diem semper fuerunt. Siluestribus item diuersi generis Animantibus affluens, situs non paucos ad venationem aptos continet, & ideo ipsis D. D. Comitibus est in delicijs. Gaudet insuper Iure, quod Iudices, ex ipsis Originarijs Ciuibus eligantur, qui à D. D. Comitibus, ad quos prouocatur, quorumque in criminalibus, subiecti omninò sunt sententiæ, confirmati summum in ciuilibus ius dicere possunt.

Sunt, qui tradunt ( ne quid silentio prætereamus ) Lodroni Comites ditionem ipsius Vallis à Scaligeris, ratione dotis, recepisse, hocque sibi persuadent, quod in Turri Campanarum Veteris Ecclesiæ Parochialis suspiciuntur lapideæ Scalæ ipsorum Scaligerorum Insigna Gentilitia: alij verò à Serenissima Venetorum Republica, tum ob præclara ipsorum Comitum in illam merita, tum loco Bagolini, cuius Incolæ ipsorum Comitum dominationem, & imperium recusauerant, donatos fuisse memorant, huiusque rei non modicum est argumentum, quòd mensura, pondere, & pecuniarum valore, ad instar Salodiensium, adhuc vtuntur, & vt Veteres tradiderunt vltra centesimum annum agentes, Comites tantum, tanquam supremos Principes, recognoscetes, nisi ad propriam Patriæ, Castrorumque Lodroni, & non vltra, defensionem compelli minime poterant, obidque ipsi D. D. Comites, Vallis Vestini Domini appellantur. Quare anno millesimo septuagesimo nono, ad quingentesimum, quo Commissarij Serenissimæ Arciducalis Austriæ Ditionis iusiurandum à subditis exigebant, immunis Vallis hæc penitus fuit. Quia in Tridenti feudis, in quibus nominatim Lodroni feudi exprimuntur ( quorum profectò Vassalli affectionis tantum iusiurandum præstiterunt ) haud connumerabatur. Affirmabant etiam ipsi senio confecti priuilegio decorari, quo ex Decentiani Emporio, Riperia-

1579

Ex Epist.  
Jacob: Eo-  
nardell.  
1579.

F que

que Benacensi frumentum pro victu necessarium, absque minimo interdicto, aut pœna, conducere poterant, & ego optimè memini, quadraginta ab hinc annis, benignè ipsis Comitibus annuentibus, Viros, delectos fuisse, qui publico nomine Bagolinum in Valle Sabij se conferrent, vt simile priuilegium, & alias exemptiones, quæ ibidem custodiri dicebantur, requirendas curarent, cuius voti, nescio, qua de causa compotes facti minus fuerint. Situs, locique huius natura explicata, ad institutum nostrum reuertamur.

Cumque opera pietatis diligenter coleret, præcipuè autem rectam filiorum educationem exoptaret, cernens Salodium esse satis aptum pro pueris, non tam in litteris, quam optimis moribus, & in Christiana disciplina dirigendis, Collegium Clericorum, quod ab ipsius Genitore Comite Sigismundo ad Capharum iam introductum fuerat, & postea aëris intemperie suppressum, & intermissum in dicto Salodij Oppido suscitauit, ac instituit sub moderatione D. D. Confratrum Societatis Laicalis Charitatis (ab eodem pariter erectæ, & à Serenissima Venerorum Republica circa annum postea Reparationis nostræ vigesimum sexcentimum supra millesimum comprobata, censu ad hoc satis congruo designato, vt patet ex publicis Instrumentis D. D. Cornelij de Pasqualibus ipsius Societatis tunc temporis Cancellarij integerrimi, & Lucretij Donati, quo cum ipse Comes non vulgari stringebatur necessitudine, cum esset æquitatis amans, & pluribus, maximisque in rebus probatissimus, in quo sex Clerici non modò ex toto ipsius Lodroni Comitatu, sed item ex Valle prædicta Vestini, tanta pietate, ac diligentia aluntur, vt ex illis Alumnis multi Animarum Rectores, ex Primarijs etiam, non tam in Diœcesi Tridentina, quam Brixiana, numerentur, magna cum laude, & encomio ipsius Collegij Moderatorum, qui, cum sint ex dicto Oppido optimi, ac probatissimi, non secus, ac super proprios

prios natos inuigilant. Ipsi Clerici ceruleis vestibus induti, magno cū decore in Diuinis vt Clerici Seminarij in Cathedralibus, singulis festis Maiori in Ecclesia, in qua ad instar Collegiatæ Ecclesiasticæ peraguntur functiones, inseruiunt. Nec sine ratione, ac fundamento hoc in loco institutum esse voluit.

Salodium enim est Municipium Celebre, & peruetustum, florens opibus, ac mercatura frequenti, rebus propter aquarum commoditatem, omnibus necessarijs affluens, solertis ingenij Populo, ac Nobilitate magna frequens, cumque placidissima fruatur Cœli temperie, totūndique ibidem domicilium constituunt, vt septem mille Animæ in eo numeratæ sint. Inter Ædificia, quæ tam sacra, quam profana, publica, & priuata, magnifica, & sumptuosa continet, primum locum tenet Parochiale Fanum dignitate Plebanatus antiquissimum, quod forma, & artificio, ac Ministrorum numero tam celebre est, ac decorum vt paucis secundum pro quacunque Ciuitate sufficere possit. Cœterum est Locus insignis, qui Forum Iudiciorum habet, & medium, & mixtum Imperium, & in quo Iuris peritorum non mediocris copia haberi potest, cum duobus Collegij, Iuris peritorum vno, Notariorum altero splendeat. Sex item diuersorum ordinum Monasterijs, totidem, & Locis Pij, diuersorumque Præceptorum Gymnasijs ornatur. Est demum Oppidum ad res maximas gerendas, & ad studia aptissimum. Non est itaque mirum, si loci amœnitate allectus, ibidem alia pia opera excitauit; piam enim Domum, in qua Mulieres, quæ carnis, & Mundi illecebris aufugiant, custodiuntur, sub patrocinio, & moderatione D. D. Societatis Laicalis Misericordiæ, necessarijs redditibus stabilivit; Carmelitarum Cenobium satis angustum adiectione fundi haud exigui dilatauit. Quibus, & alijs diuersis in locis promissis celebrandis, & Pauperibus subleuandis, religiosis pe-

Salodij Descriptio.

ractis operibus Institutum Ordinis Sancti Francisci Capuc-  
cinorum amplexus , Vir in eo eximius moriens Tridenti  
immortale sui desiderium reliquit.

22 Qui nostro seculo Familiam hanc clariore reddidere,  
Princeps sit Comes Nicolaus Lodroni, & Castellani Domi-  
nus in Valle Lagarina , & Christophori Comitis Germa-  
nus frater ex Comite Paride ( qui fuit Cameræ Rodulphi  
Cæsaris, ac Archiducis Austriae supræmus Præfectus ) or-  
tus , qui cum Tribunitiam totius Tyrolis Præfecturam  
exerceret, & S. C. M. à cubiculis, nec non Serenissimi Ar-  
chiducis Leopoldi intimus esset Consiliarius. .a. Comite  
Paride eius filio ad Metropolitanam Cathedram Gesodumi  
( vulgo Salzburg. ) vnanimi cuncti illius Ecclesiæ Senatus  
consensu euecto, cum ad eum, hoc felici audito nuncio,  
gratulabundus, prope octogenarius, peruolasset, in Patriam  
regressus; circa annum vigesimum sexcentimum, vltra  
millesimum gloriosus, & æterna memoria dignus occubuit,  
solemniterque magna pompa, & apparatu in Archipresby-  
terali Ecclesia Villæ Nogareti in eadem Lagarina Valle,  
vbi amplum Patrimonium, & Dominium Lodroniæ Do-  
mus possidet , in Sepulcro Maiorum suorum tumulatus  
fuit.

23 De hoc stipite fuerunt item Maximilianus , & Al-  
phonfus, Domini Castri Noui, ex Comite Gasparæ, Maio-  
ri Architrachino Maximiliani Regis Boemiæ , & à concilijs  
Ferdinandi Romanorum Regis, nec non Equite aureato,  
& supremo Stabuli Præfecto, quem tradit Alphonfus Vil-  
loa. .b. Legatum fuisse Genuam, Liguriæ caput, vt, ipsius  
Ferdinandi nomine, Hispaniorum Principem Philippum  
secundum, illuc appulsum, in Belgium se transferendi gra-  
tia à Carolo V. eius Patre, qui hac de causa eum ex Hispa-  
nia euocauerat, Burgundiæ, ex totius Belgij ( quibus non  
modò Prouincijs, sed omnibus Regnis, & item imperio se  
abdi-

Stemm.  
Familie

1620.

Alphonf.  
Villoa. L. 4.